

accidens habet diffinitionem absolutam sine subiecto, habet quod quid est absolutum: igitur est ens absolutum: ergo est substantia: quod est inconueniens.

Ideo dicendum: quod omne accidens reale diffinitur per subiectum: quia est ens per illud: non tamen quodlibet prædicatur secundo modo per se de illo subiecto: eo quod subiectum ponitur in eius diffinitione: sicut in diffinitione symi ponitur nasus: non tam hæc est per se: nasus est symus: quia nec vera vniuersaliter: sed sufficit ad hoc quod subiectum ponatur in diffinitione accidentis, quod illud accidens non possit reperiri nisi in illo tali subiecto. Plus autem requiritur ad prædicationem per se, siue ad Proprium: scilicet, quod egrediat ex per se principiis subiecti: & de tali subiecto intelligitur ratio secundi modi dicendi per se.

Ad quintum ergo dico, quod accidens quodlibet inest alicui per se: id est sine medio: & ad illud subiectum est status: sed non quodlibet inest per se: ita quod egrediat ex per se principiis illius subiecti: sicut accipitur per se in secundo modo: sicut album, si inest homini per accidens, inest superficiæ per se; id est immediatè: sed non ut per se dicit causam.

Ad sextum patet: quod accidens; vt ponitur in diffinitione Proprij; significat idem, quod prædicans non essentialiter.

Ad vltimum dico: quod accidens inseparabile habet rationem generalem accidentis; scilicet, adesse, & abesse, &c. quia sub eius opposito potest subiectum intelligi sine repugnantia intellectus: vt dicitur in littera de coruo, & æthiope: sed sub opposito Proprij non potest: ideo Proprium non est accidens inseparabile.

Summa textus: simul & explicatio.

Ex dictis in questione precedente, in qua Doctor tenuit Proprium esse accidens: licet non quintum prædicabile; oritur questio præsens propter multa, quæ ad oppositum facere videntur: & ideo merito eam statim examinare voluit: in qua (sicut & in precedente) licet multa difficultia ad Proprium pro materiali sumptum: imo & ad quintum vniuers-

sale spectantia contineantur: nihilominus quia omnia etiam in sequente questione locum habent: ideo summam eam pertractabimus. Ad partem igitur negatiuam septem rationibus arguit: & quamvis principalis intentio sit de intentionibus: sermo tamen Doctoris extenditur plerumque ad fundamenta; & arguendo, & declarando, vt solet: & ratio est: quia sicut intentio ad intentionem, ita fundamentum ad fundamentum. Et quia rationes claræ sunt, & optime in littera formata; eas iterum repetere superfluum erit: quibus non obstantibus statuit conclusionem suam dicens.

Proprium, & accidens, sunt duo vniuersalia inter se essentialiter distincta. Hanc probat auctoritatis Aristot. & Porphyrij: & vt eam ratione confirmet, notat singularem diuisionem accidentium pro fundamentis: quæ distinctio aliquo modo habetur quæst. vltima Antepredicamentali, & quinto Metaph. quæst. 5. & sic se habet. Accidentium quædam adueniunt subiectis ab intrinseco, & quædam ab extrinseco: quæ adueniunt primo modo; vel est ratione materia; vt quantitas, quæ tantum conuenit rebus materialibus: vel ratione qualitatum actiuarum, videlicet, caliditatis, frigiditatis, siccitatis, & humiditatis; & huiusmodi accidentia sunt omnes qualitates sensibiles secundæ; scilicet, colores, odores, & sapes. Quæ autem eueniunt ab extrinseco sunt in duplici differentia: quædam enim manent, amoto illo extrinseco: vt nigredo ab æstu; & forte nigredo Æthiopum, & Indorum: quædam autem non manent; vt calor, vel figura aquæ, quæ sibi derelicta ad propriam naturam redibit: & nullum talium est fundamentum Proprij quarti prædicabilis: quia nullum istorum est conuertibile: est enim defectus in aliqua, vel in omnibus trium particularum: id est, quia non conueniunt omni, & soli, & semper: bene tamen sunt fundamentum quinti prædicabilis: quia sunt accidentia communia; vel quia communia sunt pluribus subiectis; vel quia indifferenter insunt, & non in sunt.

Sed vltra prædicta, inquit, est aliud accidens large sumptum, ut accidens opponitur illi, quod essentialiter, & per se primo modo conuenit subiecto; & hoc proprie dicitur à Doctore dimanare à subiecto ratione formæ (tum quia qualibet pars subiecti dicitur forma: tum etiam quia forma totius dicitur forma specifica, seu quidditas: tum denique, quia tota species est causa necessaria præcisa, & immediata talis accidentis, vt quod, vel mediata: forma autem partis dicitur talis causa, vt quod) quomodocumque sit, tale accidens à principiis essentialibus subiecti, tanquã à causa necessaria, præcisa, & immediata dimanat: & non à principiis in diuidualibus: & hoc accidens tantum inest per se primo speciei, & secundario contentis sub illa: ideo omni habenti formam talem specificam inest tale accidens, & semper, & non habenti eam non inest: vnde est simpliciter conuertibile cum specie, & potest de ea per eius diffinitionem demonstrari.

Ex quibus patet ratio pro conclusione Doctoris: nam illæ intentiones sunt essentialiter distinctæ,

Conclu.

Notanda

stinctæ, quæ essentialia fundamenta distincta habent: huiusmodi sunt Proprium, & accidens: ergo patet minor: nam secunda intentio Proprij applicatur accidentibus à principiis essentialibus subiecti dimanantibus: secunda vero intentio accidentis applicatur alijs accidentibus per accidens, seu communibus: igitur, &c.

Tandem soluit argumenta: & vnica solutio ne tria, priora soluit, recurrens ad æquiuocationem accidentis, de qua questione precedente: procedunt enim, inquit, de accidente prime intentionalis sumptum. Cæterum, quia hæc responsio (si valet) videtur concedere Proprium esse accidens; vt voluit argumenta; si quidem non est substantia: ideo obijcit contra illam inferens ex ea hoc inconueniens: omne, scilicet, Proprium intentionale; imo & reale, esse accidens reale, quod diuidit eas simul cum substantia: & quod sit inconueniens probat: nam licet Proprium reale sit accidens reale, non tamen Proprium intentionale: quia accidens reale, nec in abstracto, nec in concreto potest de tali Proprio prædicari: non in abstracto: quia tunc res primæ intentionis esset: & essentia secundæ non in concreto: quia prima intentio non potest denominare secundam: quia denominatum, quando est proprie denominatio, est posterius denominato, & prima intentio non potest esse posterior secundæ: ergo Proprium intentionale non est accidens reale: & cum non sit substantia, necessario erit accidens intentionale, ac quintum vniuersale.

Respondet dupliciter: primo, & subtiliter, sustinendo aliquo modo veritatem huius: omne Proprium est accidens: & supponendo accidens non solum esse æquiuocum ad res primæ, & secundæ intentionis; sed accidens reale etiam esse æquiuocum ad nouem genera accidentium: & contra; Proprium intentionale esse vniuersum, vt est applicabile passionibus omnium prædicamentorum inquit, quod in prædicta propositione, in qua subiectum sumitur intentionaliter, & prædicatum realiter; ly, accidens, quod est prædicatum, non potest accipi, nisi pro vno tantum significato; scilicet, pro quantitate, vel qualitate, & sic de alijs: & patet, quod nullum nouem prædicamentorum inest Proprio vniuersaliter sumptum; quia, vt sic, distribuitur pro omni Proprio: & accidens vnius generis non potest prædicari de Proprio cuiuscunque generis: aliter enim passionibus omnium generum essent in vno noue genere accidentium: quod est falsum: quare prædicta propositio: omne Proprium est accidens: est vniuersaliter falsa: est tamen vera, si limitetur: sic dicitur: omne Proprium in hoc genere est accidens: accipiendo accidens pro vno significato. Quod debet intelligi reductiue, & per conuersionem per accidens: ac si dicitur; aliquid accidens est Proprium: quia verum est, quod propriæ passionibus cuiuslibet Prædicamenti, quæ dicuntur accidentia propria, à Proprio quarto prædicabili denominantur: & quod talis conuersio fieri debeat, docet Doctor: dicitur: prædicatione subiecti de accidente esse indirectam, & reducibilem ad directam; cuiusmodi est hæc: omne Proprium est accidens: nam ly, accidens est subiectum secundæ intentionis.

Secundo respondet: prædictam prædicationem non esse per se, nec propriam: quia accidens reale non est natum prædicari de re secundæ intentionis, nec subiectum accidentis de ipso accidente in concreto: quare non oportet concedere talem prædicationem esse denominatiuam, vniuersalem, aut æquiuocam: quia hæc diuisio tantum prædicationi per se conuenit, ad replicam contra hoc patet in textu.

Ad quartum concedit omne accidens reale diffiniri quietatiue per suum subiectum: negat tamen tale accidens per se secundo modo de subiecto prædicari: nam ad hoc requiritur, vt accidens à principiis essentialibus subiecti egrediat.

Ad quintum dicendum, quod sicut ly, per accidens sumitur, vel vt opponitur contra secundario: vel contra per aliud; vel contra per se: ita tem primi modi: sic ly, per se potest distinguere: vel vt dicitur immediate; id est sine medio aliquo: vel vt dicitur casualitatem necessariam, & essentialiter: primo modo concedit omne accidens inest alicui per se: sed non secundo modo.

Ad septimum (nam ad sextum patet) respondet: quod Proprium non est accidens inseparabile: nam, accidens separabile, & inseparabile, diuiduntur accidentia, quantum vniuersale: & cum istæ intentiones dicantur tales à fundamentis; cum Proprium pro materiali non sit accidens inseparabile, ita nec pro formali.

QVÆST. III.

An proprium necessario semper inest?



VERITUR de hac particula diffinitionis Proprij, scilicet semper; vt inest Proprio necessario semper inest? Quod non videtur: quia risibile non semper inest homini: non enim homo semper ridet.

Dicitur: quod risibile semper inest secundum aptitudinem: sed non semper secundum actum.

Contra: semper inest homini actu causa efficiens huius proprii, scilicet, forma hominis: igitur, & iste effectus semper est in actu.

Item, ad principale: substantia præcedit omne accidens tempore: ergo tempore est, quando nullum sibi inest accidens: vt de accidente Aristot. ibi loquitur: sed illo modo Proprium est accidens

dens: ergo substantia est sine proprio.

Tex. com. 17.

Item, omnis potentia passiva est potentia contradictionis, per Aristot. nono Metaphysic. subiectum est in potentia passiva ad Proprium: quia est materia eius in qua: ergo potest esse sub Proprio, & eius opposito: ergo non est necessarium quod Proprium semper insit.

Ad oppositum est Porphyrius.

Ad questionem dicendum: quod Proprium semper inest: ut patet ex prædictis: quia Proprium egreditur ex principijs subiecti, & maxime à forma: non est autem possibile causam necessariam, & immediatam alicuius poni, nisi ponatur effectus: & ideo quia semper inest subiecto sua forma: quia non est illud, quod est, nisi per illa: ideo semper sibi inest Proprium.

Ad primum argumentum dico: quod risibile semper inest actu: licet ridere non semper insit: quia ridere est commune accidens hominis: nec inest homini tantum aptitudinaliter: quia illa aptitudo non est in inherencia risibilis ad actum: sed est ex parte ipsius Proprii in se: nec est inconueniens, ridere aptitudinaliter semper inesse actu homini.

Ad secundum dico, quod illa propositio est intelligenda per se: quia subitanea, in quantum est ex sua ratione, non repugnat tempore præcedere omne accidens: cum substantia secundum se non dependeat ab aliquo accidente: est tamen per accidens falsa: quia semper accidens est, quando subitanea est: quia consequitur immediate esse substantia: nec est inconueniens, propositionem per se veram esse impossibilem per accidens: sicut dicitur sexto Physicorum, quod omni motu contingit accipere motum velociorem, quod verum est, respiciendo ad motum secundum eius rationem generalem; sicut ibi loquitur Arist.

Text. com. 85.

Text. com. 76. & cir.

2. cali cõ.

53. & inde

Tex. 71.

de motu: sed in octavo eiusdem dicitur, quod omnis motus est determinata velocitatis, & tarditatis: quod verum est, comparando motum ad determinata momenta, & mobilia, secundum quam rationem loquitur ibi Aristot. de motu Similiter quarto Physicorum cap. de Vacuo; supponitur in illa demonstratione per impossibile: sit enim spatium vacuū, quod quocunque corpore repleatur;

contingit accipere spatium repletum corpore subtiliori: quod verum est secundum rationem generalem corporis; in quantum replens locum: cuius oppositum est manifestum respiciendo determinatas naturas naturalium.

Ad tertium dicitur, quod omne, quod est tantum in potentia passiva ad aliquid, est in potentia contradictionis ad illud, subiectum autem respectu Proprii non est solum in potentia passiva, sed in potentia effectiva: quia effectivè est Proprium à subiecto.

Contra, materia, & efficiens, non coincidunt, per Aristot. secundo Physicorum; igitur non est subiectum respectu Proprii materia, & efficiens. Com. 4.

Dicitur, quod verum est dictum Aristoteli de materia ex qua, & efficiente per transmutationem; non de materia in qua, & efficiente sine transmutatione: cuiusmodi materia, & efficiens, est subiectum respectu passionis.

Contra, omne efficiens est in actu respectu cuius est efficiens, omnis materia est in potentia: sed idem non est in potentia, & actu respectu eiusdem.

Potest dici: quod idem potest esse in potentia, & in actu, ratione diversorum, scilicet, materia, & forma: & non sunt opposita, nisi accipiantur secundum idem, & respectu eiusdem.

Aliter dicitur, quod potentia ante actum opponitur actui; non quæ est cum actu: & ista potentia sola est in subiecto respectu passionis.

Summa textus.

PROPTER illam particulam, semper, in definitione Proprii assignatam, interrogat Doctor, an Proprium pro materiali, necessario, necessitate simpliciter, insit subiecto; ita, ut nunquam unum sine alio reperiat; hæc enim necessitas ad demonstrationem, qua proprium de subiecto demonstratur; requiritur; & postquam partem negativam tribus rationibus probavit; veram proponit conclusionem dicens.

Proprium semper inest. Hanc probat auctoritate Porphyrii; & ratione ex dictis qua ille præcedente desumpta: quia Proprium prime intentionali: sam primum accipitur à principijs essentialibus subiecti; & maxime à forma; tanquam à causa necessaria, præcisa, & immediata: sed talis forma semper inest subiecto; ergo, & Proprium, quod est eius effectus: ex sempiternitate igitur formæ specificæ arguit sempiternitatem inest.

inherentionis passionis ad subiectum.

Consequenter respondet ad argumenta: ad primum: sicut ibi responsum est: ad replicam contra solutionem datam notabiliter respondet: quod risibile potest comparari vel ad ridere, quod est accidens per accidens; vel ad subiectum: respectu ridere dicitur aptitudo; & ridere aptitudinaliter inest homini: respectu tamen subiecti dicitur actus: sicut albedo in Eucharistia in se est actus, seu ens actuale, inhaeret tamen aptitudinaliter; ut patet.

Ad secundum iuxta aliorum interpretationem exponit Philosophum de prioritate temporis in substantia respectu accidentis, dicens, propositio nem esse per se veram, fallam autem per accidens: quia priori natura, in quantum tale, non repugnat prioritas durationis: bene tamen ex causa extrinseca; vel ex consequentione necessaria posteriorum: & ita est in proposito dicendum.

Ad tertium patet solutio in textu, quam etiam habet in primo dist. 3. q. 7. ad argumentum secundum pro secunda opinione. Ceterum quia conclusio Doctoris quam plurima involuit; ideo per aliquot Articulos sunt à nobis examinanda.

ARTIC. I.

An proprium pro materiali sit accidens realiter à subiecto distinctum?

1. Sentent.

1. Argum.

Secundum

2. Sentent.

1. Argum.

PRIMA in hac re sententia est Nominalium asserentium passiones proprias tantum ratione distingui à subiectis. Probatur primo, omnis inclinatio naturalis solum ratione distinguitur à subiecto, cuius est inclinatio: sed omnis propria passio est tantum inclinatio naturalis: ergo tantum ratione à suo subiecto distinguitur.

Secundo passiones entis tantum ratione ab ipso ente distinguuntur: ergo, & omnes. Antecedens probatur: quia unum, & verum, nihil positivum sunt: ergo non possunt ab ente realiter, aut formaliter, distingui: quia tales distinctiones solum dantur inter entia positiva: ergo tantam ratione distinguntur. Et quod sint entia privativa, liquet: quia aliter essent entia formaliter, & ita ens prædicaretur formaliter de illis contra Scotum in primo dist. 3. quæst. 3.

Secunda sententia distinguit inter passiones, quæ ad nullam operationem; & eas, quæ ad operationem, ordinantur: de primis, quales sunt entis proprietates; cum nominalibus conveniunt de secundis vero, ut sunt risibile, & alia huiusmodi; illis ex diametro opponitur, asseriturque à suis subiectis realiter distingui, in qualitatibusque Prædicamento collocari. Ita communiter Thomistæ cum suo Magistro prima parte quæst. 97. Artic. 1. & alibi passim: quæ sententia probatur primo, auctoritatibus Doctorum: nam Aristot. in Prædicamentis cap. de qualitate, Augustinus lib. de Spiritu, & anima, Damascenus in sua Logica, atque Simplicius, dicunt animæ potentias ad qualitatem reduci; & addit August. 15. de Trinitate cap.

23. ipsas suscipere magis, & minus, quod proprium qualitatum est: ergo cum qualitas realiter à reliquis Prædicamentis distinguatur, sequitur, quod tales potentia, & passiones realiter à suis subiectis distinguuntur: iuxta Patrum, & Philosophorum sententiam.

Secunda auctoritas sit ipsius Doctoris Subtilis, qui quæstione præcedente ad primum concedit, Proprium pro materiali esse accidens reale; & passim in his Logicalibus fatetur proprias passiones esse qualitates: & in primo Metaphysicæ quæst. 1. & quæst. 3. Prologi vult proprietates in Divinis esse idem ad subiectum in creaturis vero esse ab illo causatas, realiterque distinctas: tandem quia nullibi reperietur expresse in Doctoris proprias passiones esse idem realiter suis subiectis: ergo secundum illum dicendum est, vel distingui realiter: vel saltem utrumque in eius doctrina defendi potest.

Secundo probatur ratione: omnis forma naturalis habet instrumentum à se realiter distinctum, quo operetur; ut patet in calore respectu ignis: sed anima est huiusmodi respectu suarum potentiarum, & passionum: ergo tales ab ea realiter distinguuntur. 2. Argum.

Tertio, actus, & potentia, sunt in eodem genere, ex secundo Metaph. text. 13. sed actus cuiuscunque potentia est accidens: ergo, & ipsa potentia. 3. Argum.

Quarto, potentia distinguuntur per actus: & actus per objecta, ex secundo de Anima text. 35. sed actus potentiarum distinguuntur realiter à subiectis: ergo & potentia. 4. Argum.

Quinto, omnis causa efficiens realiter distinguitur à suo effectu: sed subiectum est causa efficiens suarum passionum: ergo ab illis realiter distinguitur. 5. Argum.

Sexto, esse, & operari, realiter distinguitur in creaturis: sed subiectum ordinatur ad esse, & potentia ad operari: ergo cum sint principia diversa, realiter inter se distinguuntur. 6. Argum.

Tertio, & opposita quoad utrumque sententia, est Doctoris expressa in primo dist. 3. quæst. 7. littera S. & dist. 13. & in secundo dist. 1. quæst. 1. & dist. 1. quæst. 1. & dist. 16. & 25. & in 3. dist. 2. q. 2. & in quarto dist. 13. quæst. 1. & 9. Metaph. quæst. 14. in quibus omnibus locis concordat cum doctrina huius quæstionis; scilicet Proprium efficienter Metaphysicè causari à subiecto tanquam à causa necessaria, præcisa, & immediata: ac per consequens inter se identificari: quod expressius docet in secundo dist. 3. quæst. 5. 6. & 7. & dist. 6. quæst. 2. & dist. 3. 6. & 42. & in tertio dist. 15. & 17. & in quarto dist. 13. quæst. 1. & distinct. 43. quæst. 2. & dist. 49. quæst. 10. & in quodlibet. quæst. 17. in quibus locis vult; quod inclinationes rerum sint eadem realiter cum ipsis rebus: sed passio est inclinatio, & aptitudo quædam: ergo hæc sententia asserens passiones realiter cum suis subiectis identificari, ab eisque formaliter tantum distingui: est expressa sententia Doctoris; quam omnes eius Discipuli incunctanter sic ex eius mente defendunt; nec problema in hoc esse debet.

7. Sentent. Doctoris.

Pro qua notandum primo, quod non omnia 1. Not. pertinet.